

sunt: non ea solum quæ ad depositionem humanorum corporum videntur esse constructa, vel in faxis excisa, aut in terra defossa: sed omnis locus in quocumque vel integrum corpus humanum, vel ex parte aliqua jacet, etiam si accidat ut unum corpus per loca multa dispersum sit: absurdum non erit omnia ea loca, in quibus pars aliqua corporis jacet sepulchra ejus corporis dici. Si enim non ita accipiamus resurgere de sepulchris suis mortuos divina virtute: qui nequaquam sunt sepulchra mandati, nec in sepulchris depositi, sed sive naufragiis sive in desertis aliquibus defuncti sunt locis, ita ut sepulchra mandari non poterint: non videbuntur annumerari inter eos, qui de sepulchris resuscitandi dicuntur: quod utique valde absurdum est.

PAMPHILUS. Nihilominus in illo ipso libro interjectis quibusdam, dicit ORIGENES. Cum ergo Paulus scribit, quod sicut stella à stella differt in gloria, ita erit resurrectio mortuorum: & quod dicit, seminatur in corruptione, surgit in incorruptione, & cetera hujusmodi: manifestè hæc de solo corpore scribit. Non enim anima seminata est in corruptione, aut in infirmitate, aut in ignominia. Denique evidenter adjungit his omnibus, & dicit: Seminatur corpus animale: ut ne quis putaret animam esse quæ seminatur in corruptione, vel in ignominia, vel in infirmitate.

PAMPHILUS. Hæc quidem ex his libris quos in Iſaiam scripsit. Non præteribimus vero illum locum quem de primo psalmo differuit: in quo etiam ita de resurrectione scribit.

ORIGENES. Sicut enim in nobis eadem species permanet ab infantia usque ad senectutem, licet characteres multam videantur immutationem recipere: ita intelligendum est hanc speciem, quæ nunc est in nobis, ipsam permanens etiam in futuro: plurima tamen immutatione in melius & gloriosius facta. Necessè est enim animam in locis corporeis habitantem, uti corporibus talibus quæ apta sint his locis in quibus degit: sicut, verbè causa, si in aquis maris nos habitare vel degere posceret, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videretur habere talem corporis statum & compositionem, qualem habent illa animalia quæ in aquis vivunt: ita nunc cum cælorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriam, consequens est aptandas esse etiam corporum qualitates. Nec ideo tamen prior hæc species exterminabitur: licet gloriosior ejus effecta sit permutatio. Sicut enim ipsius Domini Jesu, vel Moyſi, vel Eliæ species, non erat alia in transformatione quam fuerat ante transformationem: ita non erit alia sanctorum species, etiam si multo gloriosior fiat.

PAMPHILUS. Sed & in quinto decimo psalmo, exponens illum versiculum: Insuper & caro mea requiescet in spe, de carne Domini ait hæc.

ORIGENES. Dominus Jesus Christus hæc dicit: cujus primo caro requievit in spe. Crucifixus enim primogenitus ex mortuis factus, post resurrectionem assumptus in cælum, secum terrenum corpus evexit: ita ut terrerentur & obstupescerent cælestes virtutes, videntes carnem ascendisse in cælum. De Elia enim scriptum est, quia quasi in cælum assumptus est: & de Enoch quia translatus est: non tamen dictum est, quia ascendit in cælum.

Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem cum omni fiducia assevero: quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem evexit ad cælum. Denique novitate ipsa perterrentur cælestes virtutes: quia quod nunquam viderant ante, nunc videbant carnem ascendisse in cælum. Et propterea dicunt: Quis est iste qui venit de Edom, id est, à terrigenis: rubor vestimentorum ejus ex Bofor? Videbant enim in corpore ejus vestigia vulnerum: ex Bofor, id est, in carne suscepta.

PAMPHILUS. Et post pauca. ORIGENES. Hæc propter illud quod dictum est, quoniam caro mea requiescet in spe. In qua spe? Non solum, quia ex mortuis resurgit: parum enim hoc est: sed in ea spe requiescit quod assumpta est in cælum.

PAMPHILUS. Quid hoc evidentiùs & clariùs ab aliquo potest dici de resurrectione carnis, quam assignavit non solum resurrectionem à mortuis, verum etiam in cælos, si qua tamen id meruerit, assumendam: securam scilicet eum qui primogenitus ex mortuis factus, primus in cælum naturam carnis invexit? Quid tamen in decimo octavo psalmo, exponens illum versiculum: In sole posuit tabernaculum suum, senserit, audiamus.

ORIGENES. Quid est quod dicit, in sole posuit tabernaculum suum? Quidam quidem dicebant, quod Salvator noster ascendens è terris ad cælum & corpus suum assumens, pervenit usque ad eum circulum, qui solis zona nominatur, & ibi, aiunt posuit tabernaculum corporis sui. Non enim ultra erat possibile id progredi. Sed hæc illi ita sentiunt pro eo quod allegoriam nolunt in scriptura sancta recipere: & ideo puræ historiæ deservientes, hujusmodi fabulas & figmenta componunt. Nos vero deprecamur omnipotentiam Dei, ut nos dignetur audire: & secreta nobis spiritualis intelligentiæ dignetur aperire.

Quod ergo à nobis in hoc loco sentitur, hoc est: In sole posuit tabernaculum suum, quero quid sit tabernaculum Christi: & quæ sit habitatio, in qua tabernaculum Christi collocatur. Habitatio Christi tabernaculi, sol esse dicitur: tabernaculum vero Christi, Ecclesiam intelligo. Solem autem quem alium sentire debeo: nisi illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Ipsum video solem de quo dictum est: Quia timentibus nomen meum orietur sol justitiæ & sanitas in alis ejus. In sole ergo posuit tabernaculum suum, id est, in sole justitiæ Ecclesiam suam collocavit: In illo enim sole justitiæ Ecclesia collocata est: quæ æternum diem facit, sicut dictum est: Erit tibi Dominus lux æterna, & Deus gloria tua.

PAMPHILUS. Erubescant etiam illi qui & hoc de ipso non dubitaverunt concinnare figmentum, quod dixerit corpus vel carnem Christi usque ad solem vectari: & ibi esse derelictam. Hoc enim ille dictum ab aliis, non rectè dictum esse confutat. Sed ostenderit se ne hæc quidem intelligere posse obrectatores ejus: quæ ille ab aliis non rectè dicta coarguit: & quæ sunt, quæ ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam retundant: qui dicunt eum corpus quidem resurgere confiteri, carnem vero negare. Desinant aliquando à maledictis: videntes eum carnem verbi Dei cum ipso verbo Deo in cælum, quo verbum Dei ascendit, imponere. His conjungit de supplicis peccatorum, quæ quoque nos confuenter ad ea quæ supra dicta sunt conjungemus, quoniam in ordine criminationum iste fuerat ordo digestus.

#### DE POENIS PECCATORUM. Origenes.

EGO arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas vel quantitas cibi contraria, febres generat: & febres, diversi vel modi vel temporis, secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggerit, ac fomitem febrium, quæ materia qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi vel prolixioris existit: ita anima cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium atque inflammatur ad penas: cum mens ipsa vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in se signa quædam ac formas cum peccaret expresserat: & singulorum gestorum suorum quæ vel sædè ac turpiter gesserat, vel etiam impiè commiserat: historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam. Tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitur atque compungitur: & sui ipsius efficitur accusatrix & testis. Quod ita sensisse etiam Apostolum Paulum puto cum dicit: Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Christum.

PAMPHILUS. Sed & in consequentibus rursum de peccatorum pœnis hoc modo scribit. ORIGENES. Multa sunt enim quæ nos latent, quæ illi soli cognita sunt qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatem, pro his vitiis quæ per escam potumque collegimus, necessariam habemus interdum austerioris ac mordacioris medicamenti curam: nonnunquam vero, si id vitii qualitas depopulerit, rigore ferri & sectionis asperitate indigemus: quod si & hæc supergressus fuerit modus morbi, ad ultimum conceptum vitium ignis exurit: quanto magis intelligendum est medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerum diversitate collegerant, uti hujusmodi pœnalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animæ perdididerunt?

PAMPHILUS. Item post pauca addidit. ORIGENES. Quomodo autem perniciosa pena est, ea quam per ignem inferet Deus, Iſaias docens de Israel quidem dicit: Abluet Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem expurgabit è medio ipsorum: spiritu judicii, & spiritu adustionis. De Chaldeis autem sic dicit: Habes carbonem ignis: sedebis super eos: hi erunt tibi adjutorio. Et in aliis dicit: Sanctificabit eos Dominus in igne ardenti. Et in Malachia Propheta ita dicit: Sedens Dominus conflabit sicut aurum, & sicut argentum populum suum: conflabit & purgabit eos, & fundet purgatos filios Juda.

PAMPHILUS. Hæc quidem ex libris πειρασμων: innumerabilia vero dispersa sunt per omnes libros ejus assertionis hujus testimonia: quæ nos studio brevitas omittimus: commemorantes de his solummodo quæ in sexto psalmo de hoc ipso peccatorum genere disputavi.

ORIGENES. Possibile est considerare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamvis magni sint, brevis sunt certè temporis: pro eo quod si paulò vehementiores exiterint, continuo etiam vitæ celerem inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis confessione à ipsis tormentis animam reddunt: alii vero in ipso jam coronæ aditu positi, denegant fidem, quam usque ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non utique diminutione propositi patiuntur sed vi doloris nimia & insuperabili, superati.

Si ergo in hac præsentī vita tam intolerabiles sunt peccatorum dolores, cum jam crassiori anima utitur indumento: quid putandum est cum id spirituale effectum ex resurrectione recipiet, & eo vehementius utique quo subtilius sentiet vim doloris? Puto enim quod quanta differentia est in præsentī seculo nudum verberari quam vestitum, ad perferendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus cruciet verbera quam vestitum: tantam puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum castitudinis hujus indumento deposito, velut nudum corpus ceperit tormentata.

PAMPHILUS. Sufficere arbitror etiam ad hujus criminationis calumniam propulsandam, pauca hæc de ejus libris testimonia protulisse: quæ innumera sparsim per libros ejus manifestum est contineri.

Nunc autem ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quæ ei de anima obijciunt: id est, quod ante corpus eam factam dicat existere. Sciens namque etiam istud dogma de anima, non aperte neque manifestè haberi in Ecclesiastica prædicatione: sicuti occasione aliquam vel suspitionem potius disputandi ei scripturæ sermo suggerit, discutens & pertractans ea quæ sensui ejus occurrerunt, discernenda hæc legendis exposuit & probanda: non manifestè dogmate, vel abruptè sententiæ autoritate definiens: frequenter & illud addens: si tamen habere videtur aut probatur aliquid conscientie sermo is, quem de anima tractavimus.

Denique in tam multis & tam diversis ejus libris nusquam omnino invenitur unus ab eo liber proprie de anima conscriptus: sicut habet vel de martyrio, vel de oratione, vel de resurrectione. Nusquam prorsus librum proprie de anima scriptum edidit: sed in diversis locis, sicut superius diximus, incurrentes sibi opiniones ex scripturæ occasione diserebat: quod potius maximi signi reverentiæ ejus ac timoris in divinis dogmatibus esse deberet: quod tanti sensus vir & tantæ prudentiæ, cum utique magister esset Ecclesiæ, & tanta ab eo dicta scriberentur, non est ausus id sibi autoritatis assumere, ut proprie de anima librum ederet scriptum. Proculdubio hæc observatio ejus illud indicat: quod nihil audebat de hac remanifesto dogmate confirmare. Denique in eo libro quem in Epistolam ad Titum scribit: hereticum describens & animæ faciens mentionem, hæc dicit.

ORIGENES. Sunt vero & alia quædam dogmata, quæ in apostolicis traditionibus non habentur: de quibus requires, si oportet eos qui quomodolibet de his sentiunt vel pertractant hereticos putare: ut puta, verbi causa dixerim, si quis rationem humanæ animæ inquirat, cum de ea neque quod ex femine traducis ducatur: neque quod honorabilior & antiquior corporum compage sit, tradiderit Ecclesiastica regula: propter quod multi nec comprehendere potuerunt, qualiter sentiri oporteret de anime ratione. Sed & qui aliquid sentire vel differere nisi sunt, à nonnullis in suspitione habentur velut novi aliquid introducentes.

Tom. V.

PAMPHILUS. Deinde post pauca. ORIGENES. Sed & tu ipse apud temetipsum discutens considera: si oportet eum qui quolibet modo de his opinatur, vel hereticum, vel Ecclesiasticum temere definire: aut si non est periculosum de eo pronuciare, quum & ipse perverfus sit & peccet, & sit à semetipso damnatus quod hereticus dicitur, si quis forte ex his quæ supra diximus quamlibet opinionem licet nonnunquam plurimis peregrinam videatur inducere.

PAMPHILUS. Hæc quidem ipse in eo libro quem supra diximus scribit: non vero his adjungimus etiam ista quæ nobis ipsa æquitas videtur exposcere. Si manifestè Ecclesia traderet vel prædicaret contraria his quæ ille sentit, sine dubio velut contrarius & resistens Ecclesiasticis statutis merito culparetur: nunc vero cum diversitas sit apud omnes Ecclesiasticos, & alii alia de anima sentiant, & omnes diversa: quomodo hic magis quam ceteri inculandus est: maxime cum ea quæ à reliquis affirmantur, multo magis & absurda & sibi ipsis sunt contraria? Quidam enim opinantur præparatis jam in ventre mulierum deformatisque corporibus, tunc ad præsens creari animas & inseri jam deformato corpori.

Hæc vero sentientes, præter hoc quod manifestas probationes ex sanctis scripturis adhibere non possunt, insuper etiam injuliam quodammodo conditoris accusant: quod non æqualiter, id est, æquas vitæ conversationes tribuat omnibus. Statim enim ut creata fuerit anima, cum nihil utique adhuc in se culpæ commiserit, inseritur interdum si ita acciderit, cæco corpori vel aliis debili: alia vero sanis corporibus & alia infirmioribus. Et aliis quidem multum vitæ tempus tribuitur: aliis vero brevissimum: ita ut interdum simul ut natæ fuerint exturbentur è corpore; & alia quidem ad conversationem agrestem quandam & barbaram, & ubi nihil humani aut honesti est, & super omnia ubi paternæ institutionis impietas obtinet, diriguntur. Alia vero ad viros honestos, sobrios, humanos, ubi & humanarum legum observatio viget: interdum etiam ad parentes religiosos, ubi educatio nobilis & honesta, ubi etiam eruditio rationalis tranſinituntur. Quomodo igitur assertiones eorum in talibus divinarum providentiam rectè omnia dispensantem & æqua lance moderantem tanquam bonam & justī Dei poterunt assignare?

Jam vero illi qui ex traduce animas venire affirmant, & simul cum corporali eas semine feminari: siquidem ut quidam ipsorum affirmare solent: non aliud dicunt animam esse quam insufflationem Spiritus Dei: illam scilicet quam in initio facturæ mundi Deus insufflavit dicitur in Adam: de ipsa Dei esse eam substantia profitentes. Quomodo non & isti videbuntur quodammodo hæc præter scripturæ regulam & rationem pietatis asserere, quod substantia Dei est quæ peccat: si anima quæ de substantia Dei est, peccat: insuper etiam quod & pœnis subdenda sit pro peccato.

Sed & illud quod sequitur, quod perabsurdum est incurtere, non prævident: quia necesse est eam simul cum corpore mori & esse mortalem, si simul cum corpore vel feminata vel formata, vel nata est. Tum deinde illi qui unam quidem ex nullis subsistentibus à Deo factam esse dicunt animam: id est, illam quæ prima facta est in Adam, & ex ea jam omnium hominum animas existere, & secundum corporalem sine dubio successione, traducem quoque fieri animarum: etiam ipsi quid aliud ostendunt, nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cetera ex solo semine oriuntur, ita etiam de hominibus sentiamus, ut cum corpore simul in eodem semine etiam anima diffundatur: quid dicemus de his qui imperfecti adhuc & de ventre aborti sunt, & qui nonnunquam antequam vasculorum naturalium receptaculis semina sint suscepta, depercutunt? In quibus sine dubio invenitur quod simul etiam illæ quæ naturali ratione feminibus insertæ inerat animæ, extinctæ sint pariter & corruptæ.

Sive ergo ex insufflatione Dei sint, sive ab una illa quæ prima facta est, necessario simul cum corporibus corruptentur: si eandem cum corporibus etiam originem sumunt secundum ipsorum rationem. Aut enim nihil omnino ex rationabili atque immortalī anima participabit illud quod adhuc in ventre receptum est: & repulsa est illa ratio quæ affirmat eam in feminis traduce simul cum corporibus seminatum: aut si participat, necessitas imminet mortalem esse confiteri animam: quod fides nostra utique non recipit.

Veruntamen quid est quod ex his omnibus ostendi volumus? Illud profecto, quod sicut eos qui unam quamlibet de his quas supra exposuimus, opinionem veram putant, non

Q. ij



recta ratione hæreticos quis appellat: pro eo quod neque ex divinis scripturis certi aliquid de his vel manifestè dictum esse videatur, neque in prædicatione Ecclesiastica contineri: ita neque hunc virum culpam iustum est, differentem quod sibi visum est, maxime cum illud præcipue servaverit, quod in Ecclesia de animæ confessione servari omnimode debet: id est, ne diversas diceret esse naturas animarum: quinimo & dicentes redarguit: & vehementiori assertione convincit. Ipse autem fateatur unius substantiæ omnes animas, & immortales ac rationabiles liberi arbitrii ac voluntatis: iudicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt: esse tamen eas factas à Deo qui universa condidit & creavit. Quando autem factæ sint, olim simul, aut nunc per singulos nascendum, quid periculi est alterum è duobus opinari: sed respondere possibile est: ut omnis penitus culpandi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cæli diversa singuli etiam ipsi qui sunt in Ecclesiis sentiunt: aliis liquidem opinantibus esse animantia & rationabilia animantium: aliis vero putantibus quod irrationalia sint: imo vero quod non solum vera anima, sed omni sensu penitus careant, & sola sine sensu ac spiritu sint corpora: nemo tamen merito alterum eorum qui hæc ita diverse sentiunt, hæreticum dixerit: propter hoc quod non ita aperte de his traditum est in Apostolica prædicatione: ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio ejus vel origine diversa opinantur, non est rectum hæreticos pronunciare: maxime cum in reliquis Ecclesiasticæ doctrinæ regulis quod rectum est & catholicum, teneant.

PAMPHILUS. Novissima criminatione est *μετὰ τὴν ἀποστολὴν* id est, transformationis animarum. Ad quod, sicut in cæteris fecimus, ipsius qui accusatur respondebimus verbis, illud primo per necessarium commentum: quia accusatores ejus non intelligentes qualiter ab eo de ista questione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, ut non semper velut ex una persona pronunciari videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ è contrario dici poterunt, disputentur: & hanc esse artem disputandi non advertentes, obijciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex adversantis persona differunt. Denique quod discutiendi hæc & non confirmandi dixerit, causa: ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adjecit, ostendit hoc modo, dicens.

ORIGENES. Sed hæc quantum ad nos pertinet, non sunt dogmata: sed disputationis gratia dicta sunt, & abijciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur questio mota non esse discussa.

PAMPHILUS. Sed hoc in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat: non de transmutatione animarum.

#### DE ANIMARUM TRANSMUTATIONE in libro septimo Evangelii secundum Matthæum.

QUIDAM quidem opinantur ex eo quod dictum est, ipse est Elias qui venturus est, animam Eliæ eandem fuisse quam Joannis. Quod enim dixit: ipse est Elias, non ad aliud, sed ad animam referendum putaverunt: & ex hoc pene solo sermone dogma introduxerunt *μετὰ τὴν ἀποστολὴν*, id est, transmutationis animarum: quasi etiam ipso hoc Jesu confirmante. Sed oportuerat intueri, quia si hoc verum esset: in multis utique Prophetarum vel Evangeliorum scriptis, simile aliquid inveniri deberet.

Tum deinde etiam ille sermo qui huic adjungitur, ostendit secretiorem quemdam & arcanum sensum in his quæ dicta sunt requirendum: magis quam quod illi secundum literæ sensum intelligentiam susceperunt, cum dicit: Qui habet aures audiendi audiat.

Addendum autem & illud est, quia si pro peccatis secundum quod ipsi sentiunt, transmutatio fiat animarum: propter quæ peccata, Eliæ anima transmutata est in Joannem: qui ab ipso angelo nasciturus prænunciatur, à quo & Jesus Salvator noster? Quomodo ergo non evidentissimum mendacium est hoc, ut ille qui tam perfectus fuit, ut nec communem quidem istam mortem gustaret, veniret ad transmutationem animæ: quæ secundum illorum assertionem non potest accidere nisi ex peccatis? Denique hoc quomodo exponunt quod dictum est ad Joannem, Tu Elias es, & dicit, non sum? Sed ut ostendatur convenire hoc etiam illi verbo quod

dixit Dominus, si vultis suscipere, ipse est Elias qui venturus est: hoc quod dixit, Elias ipse est, referendum est ad spiritum & virtutem Eliæ. Joannes enim præcessit in spiritu & virtute Eliæ convertere corda patrum ad filios.

#### DE EO IPSO EX DECIMO sexto libro super Matthæum.

QUIDAM qui alieni sunt à catholica fide, transferri animas ex humanis corporibus in corpora animalium putant, secundum differentiam peccatorum: nos vero qui hoc nusquam invenimus cautum in divina scriptura, dicimus, quia per multam vitam negligentiam humana prudentia cum fuerit inculta atque neglecta, efficitur velut irrationabile pecus per imperitiam vel negligentiam, non per naturam: similiter autem & hi qui tales fuerint effecti ex proposito sui negligentia qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atque exercitio rationabili tradant, rationabiles efficiuntur atque prudentes, sicut scriptum est de illis Evangelicis canibus, qui manducabant de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, ex quibus converta Chananæa facta est Filia Dei, secundum quod dicit ad eam salvator: O filia magna est fides tua. Sicut enim virtus animi confert unicuique ut sit Filius Dei: ita malitia mentis & verborum infania atque impudentia, facit unumquemque secundum auctoritatem scripturæ appellari canem. Similiter autem intelligendum est etiam de cæterorum animalium mutorum appellationibus.

#### DE EODEM EX DECIMO TERTIO libro super Matthæum.

IN his Elias non anima Eliæ mihi videtur uti ne incurramus in dogma alienum ab Ecclesia Dei de transmutatione animarum: quod nec ab Apostolis traditum est, neque usquam in scripturis cautum est. Contrarium namque est his quæ dicta sunt ab Apostolo: quoniam quæ videntur, temporalia sunt. Et ubi sunt quæ omnes scripturæ confirmant quod præsens sæculum finiendum est? Sed nec illud poterit stare, quod dictum est: Cælum & terra transibunt: neque illud quod dictum est per Apostolum: Transibit enim habitus hujus mundi: & illud: Cæli peribunt, & ea quæ sequuntur. Si enim, ut aiunt auctores hujus dogmatis, nemo potest in id initium restitui quod primo fuit ab initio mundi usque ad finem: quia ex causa immutari vel transferri animam secundo vel tertio opus est vel frequenter? Hoc enim modo reddi delicta uniuscujusque personæ perhibent, & pœnas sui: si in diversa corpora frequentius transmutentur. Quod utique superfluum fiet, si finis ei nullus emendationis occurrat: nec erit unquam quando non anima transferatur. Et si semper pro delictis, animabus ad corpora diversa redeundum est, quis unquam mundo dabitur finis: ut impleatur quod dictum est: cælum & terra transibunt?

Quod & si concedatur, verbi gratia, ut sit aliquis sine peccato, quem jam non sit necesse revolvit in corpus, per quot tempora putabimus inveniri unam fortasse vix animam quæ penitus pura sit, nec per mutationem corporis indigeat? Quod & ipsum si concedatur: rursum suo dogmati contrarium efficitur. Si enim demus paucas quasque animas per singulas ad perfectionem posse restitui, ut ultra in corpora venire non indigeant: necesse est, licet per infinita sæcula & universa tempora, singulis quibusque animabus ad perfectionem restitutis, cessare jam usum corporum, & per hoc finem mundum recipere ac resolvit. Non tamen ita videtur sanctæ scripturæ, quæ dicit multitudinem peccantium relinquendam esse in fine sæculi. Quod ex eo manifestissimè indicatur: quod in Evangelio scriptum est: Verumtamen putas veniens filius hominis, inveniet fidem super terram? Sicut enim in diebus Noë, ita erit adventus filii hominis.

PAMPHILUS. Et postquam de scripturis multa differunt: ipse jam suam sententiam hoc modo declarat. ORIGENES. Erit autem his qui tunc erunt vindicta, non transmutatio animarum. Non enim jam ad peccandum locus erit: sed alia genera erunt pœnæ. Transmutatio namque corporum, pœnam non facit peccatorum, ita ut nulla extrinsecus putentur inferri supplicia, quin potius est peccatoribus pœnarum modus, id est, ut pro his quæ in hoc corpore gess-

serunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est, quod ista singulari ratione, his qui possunt ejus consequentiam diligenter advertere: contraria sunt huic dogmati, quo perhibentur animæ transmutari. Quod si gentilium auctores se qui volunt qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes: cum hæc fiant, sine dubio nunquam mundum istum posse finire: consequens est eos qui hæc volunt, scripturæ nostræ non credere, quæ manifestissimè pronunciat finem mundi futurum, & non exquirere in ipsis scripturis expositiones, sive assertiones ineptas & inconsequentes ex quibus nullo genere ostendi potest, quod secundum scripturas nostras nunquam finis sæculi futurus sit.

#### DE EADEM RE EX LIBRO de Proverbiis Salomonis. Origenes.

VIDETUR autem mihi & illa assertio, quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseverat, pervenisse etiam in aliquos eorum, qui Christo credere videntur, ex quibusdam scripturæ sanctæ occasionibus: non intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. Non enim animadvertunt quomodo homo efficiatur aut pullus, aut equus, aut mulus: & putaverunt transmutari humanam animam in pecudum corpora, ut æstimarent quod aliquando serpentis suscipit corpus vel viperæ, aliquando equi, vel cæterorum animalium. Jam ergo consequens est, & hoc illos dicere debere, quod diabolus qui leo in scripturis dicitur, corpore leonis utatur: aut draconis carnibus. cum draco nominatur. Ita erit ut secundum illos transmutatio ista animarum perveniat & in demonum naturam: ut sit aliquando vel leo vel draco anima habens diabolum.

PAMPHILUS. Et paulò post. ORIGENES. Sed superflua sunt istæ omnes adinventiones. Manifestum est enim quod una pœna tam demonum naturæ, quam humano generi peccatorum, à Domino præfinita sit: illa quam Dominus sui sententia designavit, dicens, Ite in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis ejus: ostendens quia eadem species pœnarum, peccatoribus hominibus & diabolo atque angelis ejus præparata sit: licet in eadem pœna diversa sit quantitas pœnæ. Alius enim gravior ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum: alius autem remissius, cujus leviora & faciliora peccata sunt.

*Apologia Pamphili pro Origene finis.*

#### RUFFINUS DE ADULTERATIONE librorum Origenis ad Macarium.

IN his quæ in superiori libro secundum Apogeticum sancti Martyris Pamphili, quem pro Origene Græco sermone edidit, prout potuimus, vel res poposcit, Latino sermone digessimus: illud est quod te desideriorum vir Macari admonitum esse volo: ut scias hanc fidei quidem regulam, quam de libris ejus supra exposuimus esse, quæ & amplectenda sit & retinenda. In omnibus enim his catholicum inesse sensum evidenter probatur: inveniri tamen in ejus libris quædam ab his non solum diversa, sed nonnunquam etiam contraria: & ea quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque nec recipimus, nec probamus. Sed hoc unde acciderit, opinionem quæ ad nos usque pervenit, nec à te quidem vel ab his qui quod verum est, scire cupiunt, cælari volo: si qui tamen sunt qui audientes id quod verum est, & quod ipsa ratio indicat, acquiescant: & obrectandi studio non quodvis malint verum esse, quam id quod eis obrectandi materiam perimat.

Dubitari non puto quod hoc nullo genere fieri potuit, ut vir tam eruditus, tam prudens, certe quod indulgere etiam accusatores ejus possunt: vir qui neque stultus, neque infans fuerit, ipse sibi contraria & repugnantia in suis sententiis scriberet. Aut etiam si ullo genere concedamus hoc accidere potuisse: fortassis enim dicit aliquis, quia ea quæ in prima ætate conscripuit, potest fieri ut oblivisceretur in ætate vergenti & aliter quam aliquando senserat, post proferret: quid faciemus quod interdum in eisdem locis, atque ut ita dixerim, in consequenti pene capite, sententiæ contrarii sensus inveniu-

tur inserti? Nunquid in eodem opere ejusdem libri interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit? verbi causa: ut qui superius dixerat nusquam inveniri in omni scriptura, ubi Spiritus sanctus factus, vel creatus esse diceretur, continuo subjiceret, inter cæteras creaturas factum esse Spiritum sanctum: aut iterum qui Patrem & Filium unius substantiæ, quod Græcè *ὁμοῦς* dicitur, designavit, in consequentibus statim capitulis, alterius esse substantiæ: & creatum poterat dicere eum, quem paulo ante de ipsa natura Dei Patris pronunciaverat natum? Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam evidenter pronunciavit naturam carnis in cælum ascendisse cum verbo Dei, atque inibi cælestibus apparuisse virtutibus, novum & admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat ut hanc iterum non diceret esse salvandam? Quia ergo hæc incidere ne in eum quidem poterant qui vel mente motus, vel cerebro esset insanus: quid fit in causa, quam possum breviter edocebo.

Quanta sit hæreticorum temeritas, quam nihil his sancti, nihil pensi sit: facile intelligi datur ex his quæ frequenter & ausi sunt & convicti. Nam sicut ipsorum patri diabolo ab initio fallere verba Dei atque inflectere à suo ordine & sui veni interferere virus studium fuit: ita & istis successibus suis, hanc suæ artis hereditatem reliquit. Denique cum dixisset Dominus ad Adam: Ex omni ligno paradisi manducabitis: ille cum vellet Evam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, una tantummodo interjecta syllaba, in quantas coarctavit angustias? Ait enim: Quid est quod dixit Deus, ut ex omni ligno paradisi non manducetis? Quò scilicet per hoc grave esse præceptum Dei apud hominem conquerens, prævaricationem præcepti facilius persuaderet. Hoc exemplar patris sui, atque hanc artem magistri sui secuti hæretici, quoscumque veterum nobilium tractatorum invenerunt de his quæ ad gloriam Dei pertinet, plene & fideliter disputasse: ita ut ex lectione eorum unusquisque fidelium proficere possit, & instrui, non pepercerunt scriptis eorum venenatum virus infundere, sive interpolando quæ dixerant, sive quæ non dixerant inserendo: quo facilius videlicet sub nomine doctissimi cujusque & nobilis inter scriptores Ecclesiasticos viri, hæresis suæ altrueretur assertio: ex eo quod ita sensisse etiam aliqui de claris viris & catholicis viderentur. Et horum manifestissimas inter Græcos scriptores Ecclesiasticos probationes tenemus. Et quamvis quamplurimi sunt ex veteribus, in quorum libris hujuscemodi deprehenditur adulterium: tamen paucorum sufficit adhibere testimonia: ex quibus facilius quid etiam Origenis libris acciderit, agnoscat.

Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos & Episcopos & martyr præfuit, libros edidit qui appellantur, *ἀποκρινεῖς*, id est, recognitio: in quibus cum ex persona Petri Apostoli doctrina quasi vere Apostolica in quamplurimis exponatur: in aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans. Tum deinde etiam illud adulterii inseritur genus: ut naturam diaboli cæterorumque demonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creatura produxerit qualitas: quia utique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrii facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inserta, quæ Ecclesiastica regula omnino non recipit.

Quid quæso de his sentiendum est, quod Apostolicus vir, imo pene Apostolus non ea scribit quæ Apostoli dicunt? cui Paulus Apostolus testimonium dedit, dicens: Cum Clemente & adiutoribus meis cæteris, quorum nomina sunt in libro vitæ: & scribebat hoc quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est quod supra diximus, quod perversi homines assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt: ea quæ nec illi sensisse, nec scripsisse credendi sunt?

Clemens quoque alius Alexandrinus presbyter & magister Ecclesiæ illius, in omnibus penè libris suis, trinitatis gloriam atque æternitatem unam eandemque designat: & tamen interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Nunquid credibile est de tanto viro tam in omnibus catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?

Dionysius quoque Alexandrinus Episcopus eruditissimus